



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. VIII. An beneficiati mortaliter peccent profanando redditus superfluos, & plura alia quæsita

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

nullum legisse, qui assignet minorem quantitatem, eos autem obligare ad majorem quantitatem, ut dent communibus pauperibus nullum urget argumentum, præter graves aliquos Theologos quorum opinionem autumat valde duram.

Egidius Trullénck *lib. 1. in Decal. c. 5. dub. 9. n. 2.* putat esse probabile, quod etsi beneficium sit pingue, satisfaciat Episcopus, si elargiatur pauperibus quartam partem alij vero inferiores Beneficarij si quintam, aut sextam expendant. *Resp. cum cit. &c. Lugo. ex S. Thom. quodlibet 6. Art. 12. ad 4. obligare in necessitatibus etiam communibus ad dispartendum totum superfluum in pauperes aut alios pios usus, subscribit Moya q. 2. §. 2. n. 12. Apud quem Dian. p. 7. tract. 11. Resol. 36. & p. 8. tr. 7. Resol. 12. & p. 10. tract. 11. resolut. 35. retractat quod cit. p. 5. tradiderat ex Hurt. Réque melius ponderatâ approbat, quod antea amplexus fuit p. 4. tract. 4. Resol. 414. Ex Jacob. Granada *contr. 3. de cha-**

rit. D. 3. Sect. 3. n. 22. Videlicet in pauperes, usúsque pios totum elargiendum esse

Ratio desumitur ex Trident. *Sess. 25. c. 1. de reform.* Quem textum Theologi intelligunt non solum de bonis Ecclesiæ sub pura administratione Beneficiorum constitutis, sed etiam de redditibus ex communi omnium sensu teste Lug. n. 12. & Haunold *tract. 4. n. 81.* Ratio autem est, quod omnes redditus sint res DEI, ut loquitur Trident. Estque unanimes consensus SS. Patrum, ergo saltem ex jure humano graviter obligante, consequenter ex obedientia debent expendi omnes in usus pios, non enim est ulla ratio, cur pars quarta præ reliquis, sicut si ex justitia Beneficiati tenerentur erogare (ut si supponantur non esse Domini reddituum) omnes superflui deberent erogari, uti omnes fateri debent.

Ob hæc rejicienda est opinio relata soti Banez ij, & Hurtadi.

§. VIII.

An Beneficiati mortaliter peccent profanando redditus superfluos, & plura alia quesita.

70. **C**ONSTAT ex n. 69. Quod secundum jus commune omnes fructus, qui congruæ sustentationi superflui sunt, debeant dispensari in usus pios.

An hæc obligatio sit sub mortali præcepta, hic esset resolvendum, sed cum præsens numerus foret nimis longus eum rejicio ad appendicis n. 401.

